



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii Tres in Universam Aristotelis Philosophiam

Commentarius Tertius In Libros De Coelo; De Generatione Et Corruptione;
De Anima; Et Metaphysicam Aristotelis

Crespin, François

Brvxellæ, 1652

Disputatio II. De Passionibus entis in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95375](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95375)

substantia in materiali & immateriali, aut animal in rationali aut irrationali.

xxi. Probatur, quia perfectas & inalicitas, quæ sunt differentiarum immediatè contrahentes ens ad substantiam & accidens, non magis sunt objectivè ens, quàm materiale & immateriale, rationale aut irrationale, substantia: ergo, &c. Antecedens patet; quia omnia illa sunt objectivè indivisibilia.

xxii. Confirmatur ex dictis in Logica, quòd differentiarum inferiores non includant formaliter suum genus.

xxiv. Nec dicas esse disparitatem in eo, quòd differentiarum ex natura sua excludant genus, quia non sunt transcendentales uti ens; transcendentibus verò esse proprium includere suum genus formaliter; nam id omnino gratis dicitur, ut constat ex Dub. 3^o, nec transcendentia in illa inclusione consistit, sed in eo, quòd omni enti prædicamentali ens transcendens conveniat.

xxv. Pro solutione aliarum objectionum vide dicta in Logica Disput. 6^a de Individuo Dub. 20. & solum adde quærenti quid sit perfectas, aut inalicitas? ex parte actus esse aliquid constitutivum formaliter, &c. ita sumendo ly *aliquid*, ut nihil importet ex parte objecti distinctum ab ente, sed ita, ut ex parte objecti sit hæc substantia, vel hoc accidens prout fuerit sermo; ex parte verò intellectus, ipse conceptus præcisivus, prout sumitur ly *id* in definitione entis, cum definitur ens, *id cui non repugnat existere*, nec aliter sumi potest: nam quòd nonnulli ita sumant ly *id* ut sit commune enti & non enti, non est magis intelligibile, quàm quòd id, quod est, vel potest esse non ens, sit aut possit esse ens: deinde alioqui, si ly *id* in definitione entis sic intelligeretur, ita etiam intelligeretur in definitione ejus, quod fungitur munere differentiarum entis, & sic in infinitum; quæ commodè applicabis perfectas & inalicitati.

DISPUTATIO SECUNDA

De Passionibus Entis in Communi.

Passiones entis (puta propriè dictæ, quia non magis includunt ens, cujus sunt passionibus, quàm modi illud contrahentes, de quibus supra) ordinariè numerantur tres, *unum, verum, bonum*; & sex transcendentia, *res, ens, unum, bonum, aliquid, verum*, juxta hanc vocem Reubau; sed *res, ens & aliquid* sunt synonyma & æquipollentia.

negatio essendi, ita ut unum subjektivè, sive fundamentaliter & formaliter sumptum, sit ens non aliud secundum esse, sive ens divisum ab alio, quale non sunt multa.

vii. Confirmatur secunda Pars Resolutionis, quia passio alicujus dicit formaliter tantum id quod addit supra illud cujus dicitur passio; sed nihil addit nisi negationem: ergo, &c.

D V B I V M I.

Quid sit unum Transcendentale & quid res addat supra ens.

ii. **D**ico, unum prout opponitur multis, est id quod est indivisum in se & divisum à quolibet alio, ac proinde supra ens negationem solam addit; unde definitio Aristotelis 5^o. Metaph. Text. 1^o. scilicet, unum est quod est indivisum in se, tantum est unius fundamentaliter, & ut unius formaliter est manca.

iii. Probatur prima pars ex communi sensu, & facili explicatione unius, prout opponitur multis.

iv. Probatur secunda pars, quia allatæ definitionis est hic sensus, unum est id quod est, sive est ens, quod non est aliud, ubi adjectam solam negationem entis supra ens vides: ergo, &c. Hinc

v. Collige 1^o, multa ut opponuntur uni esse unum & unum ut divisa ab invicem, id est cum negatione essendi invicem: unde nequidem multa sunt ens purè positivum, in quo communiter omnes decipiuntur putantes multa esse ens & ens sine ulla negatione, quod mihi est impossibile intellectu. Vide dicta in Logica de dist. in genere Dub. 1^o. & hinc est quòd Aristoteles Textu 1^o. Metaph. dicat unum & multa opponi contrariè, id est, non contradictoriè, sed in eodem genere entis, uti contraria opponuntur.

vi. Collige 2^o, ens & unum non esse synonyma; quia ens est quid positivum; unum verò formaliter negatio connotans duo entia, scilicet ens tamquam subjectum à quo fluit, & ens cujus est

D V B I V M II.

Quid sit verum transcendentale, & quid addat supra ens.

An te Resolutionem viii. Suppono verum esse duplex, cognitione scilicet & re: Cognitione verum est quod est cognitio conformis suo objecto; Re verum est quod est res vera ut opponitur fictæ, aut à parenti tantum; sed difficultas est, quid verum, & quid formaliter supra ens addat. Pro qua, sit

R E S O L U T I O.

ix. **D**ico, verum est ens cognoscibile ut est, & verum formaliter supra ens addit solam cognoscibilitatem ipsius entis ut est, quatenus media est formaliter inter ens reale & nihil.

x. Probatur, quia sic patet, quòd verum à bono & uno distinguitur; item quòd convertatur cum ente, & tamen non sit enti synonymum & æquipollens, in quo adversarii nostri tenentes includere ens formaliter, multum laborant.

xi. Dices, inter ens reale & nihil non dari medium; & verum, esse passionem transcendentalem, quæ necessariò debet includere id cujus est passio: ergo, &c.

xii. Respondeo negando antecedens pro prima parte, ad quam jam sæpius responsum est, non dari quidem medium objectivè & à parte rei, bene autem formaliter & ex parte actus: ad 2^{um} verò passionibus transcendentales, isto sensu non agnoscimus;

K k 2 nec

nec agnosci possunt sine processu in infinitum; si enim illa passio includat formaliter ens, etiam ipsius differentia ab ente includet formaliter ens, & differentia ab hoc ente similiter; & sic in infinitum: vide etiam dicta supra Disp. 1^a.

D V B I V M I I I.

Quid sit bonum Transcendentale & quid addat supra ens.

ANte Resolutionem
xiii. Suppono bonum esse duplex, absolutum & respectivum: absolutum est ens integrum quoad predicata essentialia, respectivum est res amabilis: sed difficultas est, quid bonum respectivum, & quid bonum respectivum supra ens addat, quia illud solum est bonum transcendentale, nam bonum abso-

lutum convenit essentialiter ipsimet enti; ut patet.

R E S O L U T I O.

xiv. **D**ico, bonum respectivum est ens amabile ut est, & bonum formaliter supra ens addit solam amabilitatem ipsius entis ut est, quatenus media est formaliter inter ens reale & nihil.

xv. Probatur, quia sic patet quod bonum à vero & uno distinguatur; item quod convertatur cum ente, & tamen non sit enti synonymum & æquipolens: vide dicta dubio præcedenti. Ex hoc tamen & illo dubio,

xvi. Collige verum formaliter respectum ad intellectum dicere, & bonum formaliter ad voluntatem; nec in entibus ullam dari falsitatem, aut malitiam transcendentalem, ne alicui eidem enti conveniant passionis oppositæ transcendentales.

DISPUTATIO TERTIA

De Ente Actuali.

D V B I V M I.

Quid Ens Actuale ut sic, & an existentia creaturarum distinguatur realiter ab essentia.

Dixi creaturarum, quia existentiam & essentiam in Deo realiter identificari, nullus orthodoxus dubitat.

R E S O L U T I O I.

ii. **D**ico 1^o, ens actuale nihil aliud est, quam essentia actualis, ac proinde existentia actualis, non distinguitur realiter ab essentia actuali, nec existentia possibilis ab essentia possibili: ita Nominales, & nominatim noster Bacho, Halensis, Gregorius, Gabriël, &c. & PP. Societatis nonnullis exceptis, ut Henriquez Quodlibeto 1^o. q. 9. Fonseca, Connimb. Molina, &c. contra Thomistas, tum antiquiores, tum recentiores plurimos.

iii. Probatur 1^o, nulla est necessitas alienius realiter distincti ad constituendum existentiam de non existente actu, actu existentem, ergo nec similiter ulla est necessitas, &c. ad constituendam essentiam de non existente actu, actu existentem: consequentia tenet à pari; quia non minus existentia est indifferens ad esse actu, quam essentia, præsertim cum ipsa existentia habeat suam essentiam, in qua ferè omnia adversariorum argumenta retorqueri possunt.

iv. Probatur 2^o, quia sicut in sententia Thomistarum ipsa existentia fit de non existente actu existens actu, per hoc quod terminet actionem causæ producentis; ita & essentia, consequentia tenet à pari, sic enim vitatur superflua entium multiplicatio.

v. Confirmatur, ideo adversarii admittunt distinctionem realem inter essentiam & existentiam, quia essentia modò est actu extra causas, modò non; atqui idem est de essentia existentis, imò & de existentia ipsa; ergo vel existentia distinguitur realiter à sua essentia, & existentia existit per existentiam realiter distinctam, ex quo sequitur processus

in infinitum; vel existentia non distinguitur realiter ab ulla essentia.

vi. Nec dici potest essentiam existentis esse rationem formalem existendi; non verò aliarum rerum essentias: quia id ipsum est, quod hic quaerimus, & contendimus quod sic.

vii. Obicies, essentia est à Deo independens; existentia verò dependens, ergo distinguuntur realiter.

viii. Respondeo 1^o, retorquendo argumentum in essentiam existentis: essentia existentis est à Deo independens, &c.

ix. Respondeo 2^o, essentiam actualem, uti existentiam actualem, esse à Deo pendente, licet essentia possibilis ab eo non pendeat, uti nec existentia possibilis, unde corrumpitur totum argumentum.

x. Instabis, quæ realiter separantur realiter distinguuntur: sed existentia & essentia realiter separantur: ergo, &c.

xi. Resp. 1^o, retorquendo argumentum in essentiam & existentiam ipsiusmet existentis, ut supra.

xii. Respondeo 2^o, negando minorem intellectam de essentia actuali, & non de essentia possibili; quia clarum est hanc aliquando realiter separari ab existentia actuali, sic ut essentia sit possibilis & existentia actualis nondum sit: sed hinc nihil contra nostram Resolutionem sequitur; quia inde solum sequitur existentiam aliquando esse possibilem, aliquando actualem, quando essentia est possibilis existentiam esse solum possibilem, quando existentia est actualis essentiam esse actualem; non verò unquam existentiam existere & essentiam non existere, ex quo solum rationabiliter inferri potest existentiam realiter distingui ab essentia; & ex alio, nonnisi, si existentia actualis non sit, essentiam non esse actualem; cum quo stat, quod si existentia sit actualis, quod similiter essentia sit actualis, idque sine existentia realiter à se distincta, & per hoc præcisè, quod actionem productivam terminet, uti de ipsa existentia asserunt adversarii.

xiii. Urgebis, essentia rerum sunt incorruptibiles & ingenerabiles; sed de existentia id falsum est: ergo, &c.

Respondeo